



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. IV. De Tribunali Vicarii S. Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

17. Præter Consistoria publica dare quoque solet Pontifex in fine cujuslibet mensis publicam audientiam, cui intersunt nonnulli Cardinales, & omnes Romani Magistratus, in qua tractatur de communi omnium Romæ degentium ac externorum utilitate ac salute. Verum hæc audientia dependet omnino ab arbitrio Pontificis, quando & quoties eam concedere velit.

Lunadorus in rel. Franc. Sestini il maestro di Camera, Carriere de Rom. Pontif. Corrad. prax. disp. Apost. l. 7. c. 4. De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 5. &c.

C A P U T IV.

De Tribunali Vicarii S. Pontificis.

1. Vicarius Pape peculiare habet Tribunal.
2. Officium Vicarii antiquissimum ab Episcopo ad Cardinales translatum est.
3. Dignitas illius magna.
4. Et potestas ferè eadem, quæ Pontificis in Diocesi Romana.
5. Jurisdictio ejus hoc tempore extendit se ad ambitum quodraginta solum milliarium.
6. Quam etiam exercet in Episcopatibus isto districtu sitis.
7. Debetur Vicario Canonica Obedientia, & administrat Sacramenta.

8. Convocat Synodum, visitat Regulares & eorum causas cognoscit.
9. Quas & quorum præterea causas cognoscat.
10. Cardinales non sunt exempti ab ejus jurisdictione.
11. Generalis visitatio, & collatio Beneficiorum ipsi non committitur.
12. Fit tamen coram eo Concurfus.
13. Demandantur ipsi Pontificalia.
14. Nunc non potest, ut olim faciebat, conferre tonsuram externis sine dimissorialibus.
15. & 16. Vicegerentis officium.
17. Locumtenentium & Deputati officium.
18. Habet Vicarius quoque Secretarium & plures Notarios.
19. Tribunal hoc habetur singulis diebus Lunæ.
20. De pœnis pecuniariis disponit Vicarius pro arbitrio.
21. Proceditur Summariè in hoc Tribunali.
22. Salarium Vicarii.

1.

Habet peculiare suum Tribunal Vicarius Urbis, qui vices obit Romani Pontificis tanquam Urbis Episcopi in Spiritualibus & functionibus Episcopalibus.

2. Officium hoc Vicariatus antiquissimum est, quod olim administrarunt longo tempore Episcopi, ad nutum ta-

L

men

men amovibiles, pro ut nunc Vicegerentes; Sed transtulit illud Pius IV. ad Collegium Cardinalium committendo Jacobo Sabello Cardinali Presbytero Tit. S. MARIÆ in Cosmedin, prout colligitur ex Constitutione tertiâ ejusdem Pii IV. & notat in Relatione sua Lunadorus.

3. Quanta sit dignitas Vicaria ipso nomine denotatur, cum Principis representet reverentiam, ut de officio Vicarii Valentinus, Valens & Gratianus Impp. dixere.

4. Quare Vicarius Papæ eandem potestatem, quam ipse Pontifex obtinet tanquam Ordinarius in sua Diœcesi, & omnia ac singula, quæ ad Vicariatus officium de jure, vel de consuetudine pertinent, facit, disponit, mandat & exequitur in Urbe, & extramuram in Diœcesi Romanâ usque ad quadragiesimum lapidem.

5. Et quamvis jurisdictio ejus ad latius & antiquum Urbis districtum, centum videlicet miliarium se extendere deberet, ex consuetudine tamen, vel præscriptione, atque etiam ex statutis Laicalibus hæc restricta est intra ambitum quadraginta miliarium, idque quoad temporalem potius jurisditionem

quam

quam spiritualem, quæ adhucdum, teste de Luca, perdurat.

6. Cum vero in Urbis districtu plures sint Episcopatus, præcipuè sex Cardinalitii, exercet tamen in iis quoque jurisdictionem suam tam ordinariam, quam delegatam Vicarius, eamque cum ordinario loci cumulativam habet in prima instantia, adeo ut detur inter illos præventioni locus.

7. Deditur verò Vicario ex lege Jurisdictionis Canonica obedientia, omnesque in Urbe Clerici, atque etiam Laici in criminibus & causis, quæ ad forum Ecclesiasticum & mixtum spectant eidem subjiciuntur. Administrat etiam Sacramenta, & pœnitentibus pro admissis criminibus pœnitentiæ notas imponit.

8. Lege Diœcesanâ, & ex speciali Pontificis indulto potest convocare Synodum; Ecclesias & Monasteria regularia etiam exempta in Urbe visitare; Cognoscere causas miserabilium personarum non excedentium summam 60 scutorum; Judicare de causis usurariis Judæorum & Clericorum in Urbe degentium; Item de causis Religiosorum utriusque sexus, Hospitalium & Confraternitatum Laicorum. Punire etiam potest eos, qui

festis diebus vetita exercent, blasphematores & perjuros.

9. Cognoscit quoque causas tam civiles, quam criminales Clericorum Urbis, ejusque districtus, nec non causas matrimoniorum spirituales, idque privative quo ad alios Urbis Judices. Cognoscit causas alienationum & venditionum bonorum Ecclesiasticorum. Item causas Apostatarum, & male translatorum in Curia. Habet quoque jurisdictionem in Hebræos, si causæ inter eos aguntur activè, sicut si inter alios nempe Christianos, quia tunc locum habet præventio. Jurisdictionem etiam habet circa obligationes, & contractus in tota forma Camera Apost. quo ad loca pia & personas Ecclesiasticas in Urbe. Habet etiam jus visitandi carceres cum aliis Visitatoribus & pro liberandis vel retinendis reis in carcere suffragium ferendi. *Paulus III. Const. 36. Julius II. Const. 2. Pius IV. Const. 3. Pius V. Const. 18. Paulus V. Const. 71.*

10. Cardinales, licet ab hac jurisdictione Vicarii ob præminentiam, & quod Ordinarii sint in suis Titulis, exempti videantur, contrarium tamen Pontifices declararunt, prout nunc praxis obtinet.

11. Duo

11. Duo tamen Vicario committi non solent à Pontifice, nimirum Visitatio generalis Urbis & districtus, quam fieri curat per Congregationem in hunc finem erectam, quæ Apostolicæ Visitationis dicitur, de qua infra; Et collatio Beneficiorum in Urbe, quæ fit in Dataria.

12. Pro Beneficiis tamen curatis in Ecclesiis Parochialibus juxta Conc. Tridentinum, & Constitutionem Pii V. concursus fit coram Vicario, tanquam Ordinario; Atque etiam pro Vicariis quibusdam perpetuis in aliquibus Collegiatis in Urbe, quæ ex speciali dispositione Pontificis per concursum conferri solent, licet provisio fiat per Datariam ad nominationem Cardinalis Titularis, vel Capituli, Vicarius tamen declarat, quisnam ex concurrentibus sit præferendus.

13. Præter supradicta demandantur in primis Vicario omnia Pontificalia, quæ Ordinarii locorum in suis Dioccesibus exercere solent, ut possit Ordines per se vel alium Episcopum conferre, Urbis Ecclesias, & cœmiteria consecrare, aliaque loca profana DEO dicare, & polluta consecrare.

14. Ex consuetudine quoque conferebat

rebat Vicarius exteris in Urbe commo-
rantibus primam Tonsuram aliosque Or-
dines, etiam sine literis dimissorialibus
proprii Ordinarii; Verùm id modo ob in-
convenientia, quæ inde resultabant, vel
omnino ne fiat inhibitum est, vel raro
admodùm, & circumspecte fieri solet.

15. Jam vero Tribunal Vicarii ex plu-
ribus constituitur Officialibus. Primus
est Vicegerens, qui à pluribus jam annis
Episcopus est Titularis, hic partes ge-
rit Vicarii generalis non solum, quoad
exercitium jurisdictionis Episcopalis or-
dinariæ & delegatæ in causis civilibus
criminalibus & mixtis ad hoc forum
spectantibus, sed etiam quo ad exerci-
tium Pontificalium in collatione ordi-
num, consecratione Ecclesiarum, Al-
tarium & sacrorum vasorum, & in ad-
ministracione Sacramenti confirmatio-
nis.

16. Ad Vicegerentem quoque spectat
cura reliquiarum existentium in catha-
cumbis, & cœmeteriis, earumque effos-
sio, concessio & authenticatio. Licet
nunc etiam peculiaris hac super re insti-
tuta sit Congregatio, de qua infra. Hic
facultatem concedit imprimendi libros
in Urbe, & extra per Auctores in Urbe
existentes compositos,

17. Ha-

17. Habet præterea Vicarius tres sibi substitutos, quorum duo dicuntur *Locumtenentes*, & tertius *Deputatus*; Unus Locumtenens privatis & civilibus judiciis præest, & ut plurimum est Prælatus Referendarius, & quandoque Episcopus. Alter præest publicis & criminalibus, qui solet esse togatus. Deputatus est pro bono regimine Monasteriorum Monialium constitutus.

18. Habet etiam Secretarium & quatuor Notarios publico judicio deputatos, qui sub se habent octo vel decem alios juniores, quorum singuli distinctum suum, & particulare exercent officium; Item Barisellum, seu Capitaneum cum Apparitoribus. Non vero habet particularem Procuratorem Fiscalem, quia hujus partes in hoc quoque Tribunali agunt, Advocatus & Procurator Fiscal. Papæ, atque etiam Advocatus, & Procurator generalis pauperum.

19. Hoc Tribunal habetur qualibet septimana die Lunæ coram ipso Vicario in Palatio ejusdem, cui intersunt supra dicti Officiales, in quo causæ & negotia graviora discutiuntur, ac partes, earumque Advocati, & Procuratores audiuntur.

20. De

20. De pœnis pecuniariis, quæ in hoc Tribunali reis infliguntur statuit Vicarius pro arbitrio suo, ita tamen, ut ex pecunia illa Officium Vicariatus vasis, vestibus, tunicellis, planetis, & aliis ad ministerium dicti officii necessariis instruatur, & Notariis aliisque ministris digna merces reddatur. Quod si pœna corporis sit infligenda, tunc veluti Judex Ecclesiasticus remittit reos ad Gubernatorem Urbis, aliosvè Judices seculares.

21. Proceeditur vero in hoc judicio summarie, & manu regiâ, præviâ verbali petitione vel monitorio, solâ factâ inspectâ veritate, absque ulla terminorum substantialium observatione, & Registri confectione, si nimirum processus sit de summâ minore sexaginta ducatis de Camerâ, quod si de majore ageretur summâ, ordinarius sit processus juxta naturam causæ, & termini substantiales observari solent. Litigatoribus vero prohibetur agere in hoc judicio, si controversia non sit de majori summâ quam quinque ducatorum.

22. Cardinalis Vicarius singulis mensibus ex Camerâ Apostolicâ percipit centum ducatos de Camera.

Bulle

*Bulle diversorum Pontificum. Vestrius in
prax. l. 2. c. 16. Lunadoro in relat. De Luca Rel.
Rom. Cur. disc. 14.*

C A P U T V.

De sacra Pœnitentiaria.

§. I.

De Majori Pœnitentiaro,
ejusque munere.

1. *S. Petrus ejusque Successores acceperunt à
Christo ligandi & solvendi potestatem.*
2. *Hanc tribuit Pontifex etiam Pœnitentiarius.*
3. *Qui constituti sunt olim ut pro modo culpæ
pœnitentiam imponerent.*
4. *Et Romæ quidem duo in quavis Parochia,
Caput eorum nunc dicitur Major Pœniten-
tarius.*
5. *Et Cardinalis esse solet.*
6. *Cum sit una ex primariis dignitatibus.*
7. *Instituta à Benedicto II. aliisque Pontificibus
confirmata.*
8. *Olim amplissima fuit ejus jurisdictio, nunc
restricta est.*
9. *Officium suum per se ipsum exercere debet,
vel impeditus per alium Cardinalem.*
10. *Semel in mense habetur Signatura Pœni-
tentiariæ.*

11. *Sin-*